

In occasionem.



Lysippi hoc opus est, Sycion cui patria: tu quis?
 Cuncta domans capti temporis articulus.
 Cur pinnis stas? usque rotor: talaria plantis
 Cur retines? passim me levis aura rapit.
 In dextra est tenuis dic unde nouacula? acutum
 Omni acie hoc signum me magis esse docet.
 Cur in fröte coma? occurrës ut prændar: at heus tu
 Dic cur pars calua est posterior capitis?
 Me semel alipedem si quis permittat abire,
 Ne possim apprenso postmodò crine capi.
 Tali opifex nos arte, tui causa, ædedit hospes,
 Utq; omnes moneam, pergula aperta tenet.